

De obstaculis morborum diagnosi adversantibus : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joannes Franciscus Carol. Reim.

Contributors

Reim, Johann Franz Karl, 1796-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Berolini] : Form. Krausianis, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wks5fqr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





D E
OBSTACULIS MORBORUM
DIAGNOSI ADVERSANTIBUS.

DISSERTATIO
IN AUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXIII

H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR
JOANNES FRANCISCUS CAROL. REIM
GUBENA-LUSATUS.

OPPONENTIBUS.
H. W. WARNECKE MED. DD.
C. H. EBERMAIER MED. STUD.
C. L. CORTUM MED. STUD.

FORMIS KRAUSIANIS.

OBSTACLES MORBIDUM
DIA 201 ADLATA

DISSERTATIO
IURISURALE ARBITRA

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MAGISTRUM ORDINIS

UNIVERSITATIS LITTERARUM BRUNSVICENSIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

AVTHORE
DIE XIX M. AUGUSTI A. MDCCCLXIII

JOHANNES HANSEN & CAROLUS REHM

H. W. WANKER & CO.
C. H. EBERMAYER & CO.
C. F. FORTMANN & CO.

BRUNSVICIAE

V I R O

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

DR. TH. H. DE SCHUBERTH

AUGUSTISSIMI RUSSORUM IMPERATORIS ET ARCHI-
DUCIS HASSORUM CONSILIARIO AULICO, SCHOLAE
GERMANICAE PRINCIPALIS PETROPOLITANAE DI-
RECTORI ETC. ETC.

EX AFFECTU ET OFFICIO INSCRIBIT

JOANNES FRANCISCUS CAROLUS REIM.

V I H O

ILLUSTRATION ET GÉNÉRALISATION
DR. THOMAS SCHUBERTH

PROFESSOR DE MÉDECINE À L'UNIVERSITÉ DE
VIENNE, ET DIRECTEUR DE L'HÔPITAL
GÉNÉRAL DE LA VILLE DE VIENNE
ET DE LA CLINIQUE DE MÉDECINE
INTÉRIÈRE DE L'HÔPITAL DE LA VILLE DE VIENNE

PARIS, CHEZ M. DEBAY, MÈDECIER, RUE DE LA HARPE, N. 10.

AN VI DE LA RÉPUBLIQUE FRANÇAISE.

Non dubito, fore nonnullos, qui audaciae atque temeritatis me arguant, quod tenue hoc opusculum Viro tam Illustri tantaque eruditione conspicuo consecraverim. Habeant sibi, dummodo meditentur, Viros Amplissimos et Experientissimos in dijudicandis aliorum speciminibus aequissimos esse atque humanissimos! Noli igitur, Vir Generosissime, hanc observantiae et venerationis tesseram vilipendere, sane enim nescio aliam viam, qua pro munificentia

in me collata gratias Tibi referre possim.
Ut favore illo ac benevolentia, quibus me
patrocinaris, dignus evadam, quantum in
me est, semper enitar. Utinam graviora
mihi argumenta subveniant, quibus testari
possim, nullam esse rem, quae ad te per-
tineat, quae mihi non carior sit, quam
meae res omnes.

P r o l o g u s .

Sunt, qui existiment, tanto facilius concinnari libellum qualemcumque, quanto uberius scribendi sit materies. Quod cum multum probabilitatis habeat, non ex toto largiendum videtur; etenim qui limites angustiores sibi praefixit, e multis, quae scribere possit, optima eligat, necesse est, quum omnia scribere non debeat. Magni autem est negotii, e caterva rerum latius diffusarum earumque diversissimarum aptissimas, scituque maxime necessarias agnoscere, perpendere, verbisque idoneis adumbrare. Hancce operam eo magis ambiguam ac difficilem esse arbitror, quo magis tirones, his in rebus nondum versati, eam suscipiant. Haec mihi excusationi fore existimo, quod tirocinium meum in ea materia collocaverim, quae, licet perampla sit et pergravis, juvenili ingenio melius respondet, quum a meditatione magis,

quam ab experientia argumenta petat. Haud ignoro quidem, multa notatu digna huic opusculo posse adjici, multaque ei inesse leviora et sane supervacua, sed perfecta numerisque suis absoluta exhibere, artis magistri est, non tironis. Si quis est lectorum, qui in malam partem mihi vertat, quod nullos allegaverim auctores, probe teneat, me, quid propriis viribus praestare possem, experiri voluisse. Praestantissimum quemque humanissimum esse scio, propterea non est, quod indulgentiam rogem.

I n t r o d u c t i o.

§. 1.

Non antiquissimum tantum sed verissimum quoque illud est effatum: qui bene dignoscit, bene medebitur, quippe quod sine ullis ambagibus viam indicat, quam unumquemque medicorum ingredi oporteat, ut officiis suis sanctissimis satisfacere discat. Quis est qui infitietur, veram morborum diagnosin totius medelae esse fundamentum? Neque enim eventus cum evidentia aut probabilitate aliqua potest praesagiri, neque remedia in usum vocari, quae ad naturam

morbi singularem respondeant, nisi, quod vitii
 genus adsit, medicus rite cognoverit. Imo an-
 tiquissimi artis salutaris professores maturius ac
 facilius morbis externis sive chirurgicis, qui vo-
 cantur, manum auxiliarem praestiterunt, quia
 promptiorem et luculentiorum indolis notitiam
 adsciscere potuerunt. Jisdem rationibus chirur-
 giam immania incrementa debere, quae nostris
 temporibus nacta est, persuasissimum habeo.
 Quum autem ipsi morbi chirurgici interdum diffi-
 cillime dignoscantur et distinguantur, multo ma-
 jores difficultates sint necesse est, quibus vitiorum
 internorum diagnosis premitur. Haec impedi-
 menta sane nonnunquam adeo inexpugnabilia sunt,
 ut clarissimi artis magistri praesidiis destituantur.
 Interest tamen, fontes novisse, ex quibus plurima
 difficultatum pars scaturit, siquidem non omnes
 ejusmodi sunt, ut submoveri nequeant. Multa
 obstaculorum, diagnosi adversorum, non solum
 in variis morborum generibus, verum etiam in
 ipso medico, imo in aegrotis curationi submit-
 tendis posita esse confido. Has rationes secutu-
 rus, totum hujusce opusculi argumentum in tria
 capita diducam, et quae ad singula potissimum
 pertineant, singulatim exponam. Paucula haec
 praemittenda censui, priusquam ipsa libelli ini-
 tia auspicerer.

Caput I.

De impedimentis, quae ipsa morborum genera diagnosi obvertunt.

§. 2.

Si varia morborum genera consideramus, quibus hominum vita magis minusve obruitur, immanem eorum catervam obstupescamus necesse est. Sane tantus affectionum numerus reperitur, ut minus admirationem nostram excitet, quod non plures homines eodem morbo, quam quod non omnes pluribus vitiis semper laborent. Quid vero medici animum magis potest turbare notitiasque ejus diagnosticas labefactare, quam imagines rerum diversarum, quae uno quasi impetu ei offeruntur, promptoque arbitrio commendantur? Parum adminiculi morborum divisiones in genera, species, classes et ordines praestant, quippe quae partim diversis dividendi principiis superstructae, partim ambiguae et arbitrariae sunt. Alios enim secundum varia corporis systemata, alios secundum decursum, alios secundum externam formam, secundum palmaria symptomata, imo secundum res fortuitas morbos distribuisse constat. Ceteroquin non sufficit, ut medicus morbi speciem aut classem cognoscat, sed sin-

gulare quoque nomen, sedem, causam cet: ei tribuat necesse est, quod ob tantam affectionum congeriem difficillimum esse arbitror.

§. 3.

Sed non solum numerus et diversitas morborum verum etiam similitudo quam maxime diagnosi obest, siquidem diversa et contraria facilius quam similia distinguuntur. Fontes hujus similitudinis facile dilucidantur, si intimam pensitemus conspirationem, quam et omnia corporis systemata et omnes systematum partes inter se alunt. Quum, me quidem iudice, nullus morbus mere localis existere possit, i. e. uni parti sic adstrictus, ut nonnisi vasa sanguifera, aut nervi, aut muscoli, aut tela cellularis sola laborent, mirum videri non potest, plurimos morbos nonnulla saltem communia habere, quae indolem ipsorum nonnunquam dubiam reddere possint. Prae caeteris autem quorundam morborum tanta est similitudo, ut ingenium exercitatissimi artificis caligine obfussetur, atque ambiguum huc illuc trahatur. Testimonio sint morbi nervorum dynamici, nominatim spasmi, qui si interiores corporis partes adoriuntur, maximam faciunt dubitationem, an clonici sint an tonici, quum eadem plane symptomata offerant. Quid, quod ne inflammationes quidem internarum partium a spasmiss eadem

loca tenentibus multum discrepant, si sola symptomata respicias, quae dolore laesaque affectae partis functione sese expromunt. Summam porro symptomatum similitudinem tam inter se, quam spasticis cum affectionibus omnia exhibent vitia, quae sunt in fabrica viscerum, vulgoque organica appellantur, uti hepatis indurationes, infarctus, stricturae cet. Quis est, qui omnia haecce vitia rite semper distinguere possit, etiamsi summum ingenii acumen, summaque studiorum assiduitas ei contigerit? Ne opus quidem est, ut ad internarum partium morbos confugiamus, nonne enim multa eorum, quae sub oculos cadunt, ob mirificam formae similitudinem, medicos sagacissimos saepe decipiunt? ut exemplis sententiam meam illustrem, mentionem faciam inflammationum, quae circa oculos exoriuntur, et ulcerum, quae varias corporis partes obsident, summisque diagnosin difficultatibus implicant.

§. 4.

Neque minus morborum mutabilitas consideranda venit, quippe quae tanta est, ut vix possit ignorari. Mutabilitatem scilicet eam dico, quae efficit, ut morbi indoles alio tempore alia sit, sive ad hanc sive ad illam partem magis vergat. Respiciamus v. g. morbos inflammatorios,

qui modo sthenicam modo asthenicam naturam prae se ferunt, saepeque ab illa ad hanc, ab hac ad illam transeunt. Noli suspicari, me processum inflammatorium asthenicum agnoscere, quippe qui nunquam non in vi vitali adaucta systematis arteriosi cernitur, sed prout organon inflammatione subactum vel firmum, vel aliis morbis jam labefactum est, inflammationis effigies alia atque alia comparet. Divisio illa, quamvis minus vera, ad factitandam medicinam utilissima ideoque scitu necessaria est, aliam enim curandi rationem haec, aliam illa species inflammationis requirere solet. Objicere quidem licet, discrimina incendiolorum sthenicorum et asthenicorum satis esse luculenta, proptereaque nihil difficultatis diagnosi offerre, sed saepius eos decipi videmus, qui de notitia illorum gloriantur. Huc accedit, quod morbi haud pauci actionibus vicariis quodam in loco exortis naturam suam adeo mutari patiuntur, ut affectio primitiva, cujus seminia corpori adhuc insunt, malumque nutriunt, vix et ne vix quidem internoscatur.

§. 5.

Si verum est, quod nemo dubitat, simplicia facilius distingui, quam complicata, morborum quoque complicationes diagnosin ambiguam ac difficilem reddant, necesse est. Hanc ob rem

morbi chronici multo majorem attentionem et sagacitatem requirere solent, si naturam sedemque eorum penitus eruere velis. Etenim quo diutius causa morbifica corpus offendit, et quo longius ipse morbus procedit, eò latius quoque diffunditur, neque partes solum finitimas, verum etiam diversa subigit systemata, et pro singulari eorum indole morbi naturam format atque componit. Quemadmodum morbos mere locales existere supra negavi, ita etiam omnes diuturniores affectiones, ab initio simplices, magis minusve cum aliis complicari persuasum habeo, quum mirificum inter omnia systemata sit commercium. Quantum difficultatis et incommodi hac ex re profluat, facile patet, ideoque non est, quod pluribus dilucidetur. Licet enim medicus probe intelligat, non unum sed plures morbos adesse, vel sibi similes, vel controversos, multum tamen scire interest, an variis e causis, an unus ex altero originem traxerint, et si hoc feliciter est direntum, quis primarius sit, quis secundarius. Haec omnia eatenus eruenda sunt, quatenus ad medelam pertinent, quis enim morbos in corpore aliquo consociatos evertat, nisi vitium primitivum, morbosum alius affectionis fomitem bene noverit ac debellare studeat. Si operae esset pretium, exempla morborum complicatorum

afferre, quippe quae unicuique in promptu esse confido, haud mora afferrem.

§. 6.

Inter difficultates, de quibus hactenus disserui, sedes causaeque morborum absconditae non infimum locum tenent. Non solum exactissima partium omnium cognitione opus est, ad dijudicandam morbi sedem, sed haec ipsa sedes nonnunquam adeo est occulta, ut frustra eum detegere studeas. Fingamus cerebri vitia aut nervorum gangliarium, quorum diagnosi tantis saepe impedimentis implicatur, ut neque anatorum culter, neque physiologorum scrutinia aliquid lucis ei affundere valeant. In genere absconditam sedem dico, si usus visceris, cui inest morbus, vel parum cognitus, vel ad sustentandam totius corporis integritatem exiguus est, in utroque enim casu fundamento destituimur, cui diagnosin superstruamus. Quodsi ad causas animum nostrum attendimus, easdem saepe tenebras reperimus, quas profligari oportet, siquidem scire interest, an illae hereditariae sint, num fortuito illatae, an dynamicae, utrum materiales. Sicut enim ex effectibus nonnunquam causarum indolem suspicari licet, ita e causis multo tutius morbi naturam ratiocinabimur. Est vero in exemplis, morbos repentino quodam impetu,

velut fulmina de coelo missa sereno, homines ferire, ut vel minima absit causarum suspicio. Dein varia quoque dantur obstacula, quae, quominus aegroti causas praevias sentiant, aut eloquantur, prohibent, de quibus infra paulo prolixius disseramus, ut omnia complectamur, quae argumentum nostrum illustrare possint.

§. 7.

Quodsi per syptomata pathognomonica ea intelligimus, quae licet diversa pro morborum indole, nunquam abesse debent, certo certius constat, numerum eorum perexiguum esse, quippe quae, si adsunt, quandoque delitescere possunt, uti rubor, tumor, durties partium internarum inflammatione subactarum. Si omnibus eadem esset fides et constantia, quae est colori corporis luteo in morbo regio, convulsionibus in morbo comitiali etc. multo facilius medici et sibi et aegrotis consulerent. Sexcentae autem affectiones dantur, quibus vel plura, vel unum alterumve syptomatum diagnosticorum desunt, quae in libris pathologicis enumerata sunt. Respiciamus gravissimos pectoris morbos, hydrothoracem atque carditidem, qui rarius ob syptomatum multitudinem ac varietatem, quam propter defectum nonnullorum decipere solent. Imo adeo phthisis pulmonalis non ex toto constantia syptomata

offert, experientiae enim testimonia confirmant, pulmones post mortem interdum ulceribus obsessos atque destructos reperiri, quin ulla hujusce morbi suspicio a medico conciperetur. Eadem est ratio cardialgiae, quae modo his, modo illis, nunc atrocioribus, nunc blandioribus symptomatibus sese expromit. Perperam igitur ratiocinantur, qui morbum aliquem nondum excultum esse judicent, si syndrome symptomatum, passim obviatorum, desideratur.

§. 8.

Non omnia quidem symptomata a morbo possunt abesse, etenim si nec aliquis difficultates conqueritur, neque medicus ex ejus habitu quaedam mutata esse intelligit, hominem sanum dici oportet. Verumtamen nonnullorum symptomatum subtilitas adeo mirifica est, ut acutissimis sensibus vix percipiantur. Huc referendum autumo odorem peculiarem, quo morbi quidam, prae ceteris acuta exanthemata manifestantur. Viros novimus praestantissimos, qui, deficientibus reliquis, hocce solo odore non tantum exanthema acutum imminere sentiant, sed etiam quale futurum sit, cum evidentia praenuntient. Quis autem hisce viris aemuletur, quis crebra exercitatione sensus suos eo acumine imbuere valeat, quod illis quasi innatum esse videtur? Multa

quoque oculorum vitia tam exiguis notis stipantur, ut si aeger queratur, nihil animadverti possit, ex quo affectionis genus ratiocineris. Plurimum consilii quoque animi morborum diagnosis efflagitat, etenim aegroti mentis perversitatem nonnunquam adeo occultant, atque in se quasi reconduunt, ut dubius haereas, nisi totam eorum sentiendi agendique rationem intuearis, et quae nunc eveniunt, cum praeteritis futurisque exacte compares.

§. 9.

Sin omnia ita constituta sunt, ut medicus de morbi genere, natura, sede etc. sibi satis notitiae conciliaverit, saepenumero medendi ratio diagnosis veritatem evertere videtur. Materia medica quidem de medicamentorum efficacia disserit, et quibus morbis singula respondeant, docet, sed nemo est, qui nesciat, efficaciam illam subinde maxime incertam esse et ambiguam. Propterea ü saepius fallantur necesse est, qui, quum dubü haereant, de remediorum effectum aliquid lucis expectent. Non modo unum idemque medicamentum diversissimis morbis congruit, uti opium, china etc. sed pluribus quoque in hominibus, eodem vitio laborantibus, varios quin interdum contrarios prodit effectus. Hae rerum angustiae medicum adeo saepe urgent, ut, quid

agendum sit, nesciat, num explorandum quidem est, quid sit, quod remedii alicujus effectum in hanc illamue partem mutaverit, quid in hoc morbum auxerit, in illo mitigaverit; sed haec investigatu difficillima esse, vix unquam diffitearis. Et haec quidem sufficient de ipsis morborum generibus, jam ad alia diagnosis impedimenta consilium transferam.

Caput II.

De diagnosis impedimentis, quae in medico sunt.

§. 10.

Quilibet circa morborum curationes versaturus, aegrisque auxilium praestiturus, omnia comparet adminicula necesse est, quibus huic scopo satisfieri possit. Accuratam morbi diagnosis primis desideriis interponendam esse, jam supra positum et probatum est, disquiri igitur oportet, quibus praesidiis egeat medicus ad eam eruendam. Unamquamque diagnosis argumentis theoreticis rationalibus inniti debere, pro explorato habendum est, quamobrem ante omnia theoriae notitia conquirenda videtur. Non

audiendi sunt ii, qui omne theoriae studium abjiciunt, solumque usum seu exercitationem amplectendam esse existimant. Ab altera parte largiendum est, antiquiores medicinam primum factitasse ac deinde theorias condidisse, nihilo secius vere curationes eorum laetiores eventum sortitas esse, quam nostras. Sed majores nostri theoria non supersedebant, quod ejus vanitatem agnoscerent, sed quod ea carerent, quum morbi prius offerrentur, quam de rationibus eorum cogitassent. Errant vero, qui vetustissimos artis nostrae sectatores omnis scientiae theoreticae expertes fuisse censeant, etenim usus rerum semper ad rationalia quaedam praecepta conformabatur. Et si empiria rudior multis in exemplis prosperum obtinebat successum, nullam recipit dubitationem, quin multo laetiora contigissent, si rerum theoreticarum cognitio uberius exculta fuisset. Non decet juvenem saeculi perversitates carpere, si quae sunt, attamen reticendum non est, nostris quoque temporibus exilitatem eorum, quae ad theoriam pertinent, medicos saepenumero impedire, quominus veram morbi diagnosin inveniant.

§. 11.

Quemadmodum exempla unamquamque rem illustrant, ita exercitationes circa aegrotorum lectulos institutae theoreticam medici scientiam

partim amplificant, partim confirmant. Quum
futilis sit omnis theoria, nisi in usum vertatur,
facile liquet, quantum pretii exercitationibus
medicis tribuendum sit, quippe quae solae me-
dicum scopo suo proprius ferunt. Primus et
praestantissimus harum exercitationum usus pro-
cul dubio ad dignoscendos morbos spectat, nam
exempla oculis oblata multo certiore praebent
amussin, longeque fidelius ac tenacius mente re-
tinentur, quam imagines e commentariis haustae.
Fuerunt autem, et etiamnum sunt, qui nonnisi
vana ac nova theoremata avidè hauriant, qui
libris inhiantes, artificiosissimas atque subtilissi-
mas hypotheses extorquere ament, neque iudicium
suum ad morbi veram imaginem transferant,
sed hanc ad vana et fallacissima mentis ludibria
accommodent. Hos summis erroribus implicari
oportet, si ad aegrotorum lectulos venerint, aliam
enim viam natura, aliam philosophemata humana
saepe ingrediuntur. Sciant igitur eruditionem
amplissimam deficiente exercitatione mancam esse
atque sterilem.

§. 12.

Haud raro accidere consuevit, ut medici jam
in arte versati vel nimium sibi confidant, vel
diffidant. Utrumque alienum est atque damni-
ferum, siquidem illud contumaciam, hoc timidi-

tatem et cunctandi amorem facit. Medicus enim, nimia sui confidentia captus, primum aegroti intuitum sibi sufficere arbitratur, ad suffragium de morbi natura ferendum, omniaque invenienda, quibus opus sit. Sententiam, quam tulit, infalibilem ratus, non curat, quid repugnet, quid in hanc vel illam partem mutetur, sed via coepta pergit, etiamsi longissime a diagnosi aberraverit. Nimia autem diffidentia impedit, quominus artis professor symptomatibus oblatis auctoritatem fidemque tribuat, quam merentur, mens ejus instabilis et dubitationis plena ab uno ad alterum pervagatur, nunc hoc nunc illud intuetur, nec omnia combinare valet, vel audet. Hinc levissima quaeque rerum mutatio novas ei dubitationes movet, omnemque deripit spem, diagnosin stabiliendi.

§. 13.

Medicum ab aegroto arcessitum omnia probe perpendere oportere, omnes largiantur necesse est, nam collectis demum omnibus membris effigies integra compingi potest. Hinc perversa eorum agendi ratio vituperanda est, qui singulis symptomatibus, quae pathognomonica vocant, morbum dignosci asserunt, aliaque omnia, quaecunque sint, negligi posse contendunt. Quamvis infitias ire nolim, unam alteramve notam plurimum dignitatis habere, aliisque longe praestare, con-

cedendum tamen est, diagnosin ab uno vel aliquot symptomatibus desumptam totidem contrariis, haud minus eximiis, labefactari posse. Saepe numero vestigia, quae nobis iter ad intima morbi penetralia commonstrant, adeo sunt abscondita, ut, nisi minima et levissima exacte pervestigaveris, in conspectum non prodeant.

§. 14.

Quidnam de iis dicam, qui tanto sectarum studio detinentur, ut in morbis dijudicandis vix sana ratione utantur, sed quasi caeco abrepti impetu omnia deprehendere sibi videantur, quae opinionibus praeconceptis consentanea sint. Juvenes enim, uti quaelibet nova et controversa facile arripiunt, ita etiam multa perperam intelligunt et in devia feruntur. Quodsi varias intuemur sectas, quae ab antiquissimis inde saeculis ad nostrum usque diem in re medica exstiterunt, artem quidem salutarem multum incrementi per eas cepisse intelligimus, siquidem altera alterius placita partim rationibus partim experimentis reprobare ac evertere studuit, quo factum est, ut laudabilis aemulatio inter eas aleretur. Eadem vero de causa permulta vana et commentitia proferebantur, quae sectatores, his illisque partibus faventes, multifariis erroribus implicuerunt, et a veritatis tramite prorsus seduxerunt. Attendamus quaeso animum ad illud tempus,

quo doctrinae Brownianae vindices ejusque adversarii summa cum invidia decertarunt, ac in contrarias partes medicinam traxerunt! si quis quaeratur, quid haec ad diagnosin morborum pertineant, memor esto, ardorem illum, quo quis sectae cujusdam placita amplectitur, mentem adeo obtaecare posse, ut judicium de morbi natura ferendum justo obliquius evadat.

§. 15.

Credulitatem veritati obesse, saepeque immatura et ridiculosa judicia parere, omnes abunde scimus; credulitas enim curatiorem rei explorationem suspendit, sine qua nemo sententiam fide dignam promulgare potest. Medicus nimis credulus non solum improbabilia et miraculosa quaevis ab aegroto accepta pluris aestimat, quam par est, sed rebus quoque naturalibus, maximeque vulgariis interdum aliquid mirifici temere ingerit, ut nova credulitatis alimenta habeat. Alii, hoc offendiculum vitaturi, aliud naufragium faciunt, omnia pertinaciter respuentes, imo deridentes, quae paulo insolentiora videntur. His quoque pervicacia sua damno est, fieri enim non potest, quin morbus interdum inusitatis symptomatibus sese praenuntiet vel prodat, prout ejus origo his illisue conditionibus stipatur. Si mentis quaedam laevitas hancce pervicaciam parit, tanto

major culpa medico irroganda est, qui ei indulget, etenim semper memorem esse oportet, aegrorum salutem maxime a diligentia ac studio pendere, quod morborum diagnosi impenditur.

§. 16.

Est denique immodica quaestus libido, quae efficit, ut medicus adminicula negligat, quibus diligenter et circumspecte adhibitis morbus posset dignosci. Iam Celsus annotavit, medicum omnibus officiis satisfacturum, non multos agrotos una curare posse ac debere. Huic effato omnino adstipulandum est, si meditamur, quot et quantae res in uno agroto saepe considerandae veniant, priusquam rationalem medendi viam reperiamus, et quibus mutationibus occurrendum sit, ne imperitiae aut negligentiae suspicionem moveamus. Haec omnia cum quaestus libidine conciliari nequeunt, quid enim habendi cupidus magis curat, quam aegrotorum numerum, quid aegrius fert, quam diuturnius studium, huic illive homini impendendum? Hinc obites consideratis rerum conditionibus, iisque vix aestimatis, uti praepropere advolavit, ita festinanter aufugit, nescius, quid sibi et quid aegrotantibus debeat. Sunt, qui praeter quaestum quoque vanam gloriolam venentur, ab aegrotorum numero, quos expediunt, petitam.

Hos neutiquam naturae ministros salutisque humanae assertores, sed cupiditatum suarum famulos esse censeo.

Caput III.

Diagnosis impedimenta in aegris posita.

§. 17.

Superest, ut eruere studeam, quid difficultatis aegroti morborum diagnosi obvertere possint? Prae omnibus corporis habitus respiciendus esse videtur, cujus quidem varietates adeo manifestae sunt, ut vix ignorari queant. Partim ratione, partim experientia edocti scimus, summam corporis efficaciam existere ad mutanda morborum symptomata. Hoc mirum videri non potest, si pensitemus, et multitudinem et atrocitatem symptomatum a corporis receptivitate ejusdemque reactione pendere, receptivitatis ac reactionis indolem vero ad habitum corporis sese conformare. Neque solum physica hominum constitutio aestimanda est, an firma sit, an debilis, num plena utrum gracilis, sed animi quoque indoles, character, temperamentum etc. Aliis autem morbis corpora valida, aliis infirma ob-

noxia esse consueverunt, alia prodeunt sympto-
mata, si aegrotus temperamento cholericō, alia
si phlegmatico utitur. Quodsi a reliquis discedas,
tantam pulsuū mutabilitatem invenies, ut in hac
sola re plurimum attentionis collocandum sit.
Saepissime in morbis eum reperimus pulsum, quo
alii homines sani utuntur, neque minus sanis
corporibus pulsus, alioquin in morbis obvi-
us, interdum communis est, v. c. pulsus intermit-
tens. Haec omnia medicus bene noverit necesse
est, ut vitiosas corporis mutationes rite perspiciat,
symptomataque nec pluris neque minoris, quam
par sit, aestimet. Raro autem contingere solet,
ut medicus idoneam aegroti corporis notitiam sibi
comparet, antequam dirimat aliquid et praecipiat.
Ad explorandum enim habitum, primus intuitus
non sufficit, quoniam scire interest, an corpus
ante morbi accessum idem fuerit, an aliud, num
functiones ejus, tam vitales quam animales ad
normam semper responderint, utrum subinde ab
ea deflexerint etc. Ecce! quot obstacula humani
corporis natura medico diagnosin exploraturo
offerre possit, et quanto opus sit studio et saga-
citate!

§. 18.

Eadem fere morborum discrimina, quae a
singulari corporis constitutione proficisci vide-

mus, ab aetate et sexu aegrorum oriri solent. Haec quidem diagnosin aliquatenus sublevare videntur, si compertum habemus, quosnam morbos sexus et aetas quaelibet timere debeat? Falso; etenim plerumque non alii sunt morbi, sed variis tantummodo additamentis ornati, vel symptomatibus quibusdam destituti, aut vestitu insolito quasi induti. Longum est, varietates enumerare, quas morbus aliquis exhibere possit, prout in corpore infantili aut juvenili, in virili vel senili, in muliebri denique aut masculino subnascatur. Et istae quidem differentiae sunt, quae nisi penitus cognitae sint, diagnosin summis difficultatibus obruunt. Huc accedit, quod aetates nonnullae omnem fere explorationem detrectant, prae ceteris aetas infantilis, ita ut medicum juxta externas observationes ratiocinari oporteat. Infantuli enim, si aegrotant, neque modum, neque sedem doloris significare valent, saepeque adeo ambiguum reddunt medicum, ut nescire videatur, an quibusdam naturae desideriiis satisfaciendum sit, uti esuriei, siti, cet: an medicamentis utendum.

§. 19.

Nonnunquam aegrotorum mens tam hebes aut tam perversa est, ut neque indicare possint, nec velint, quid sentiant. Haec ad eos potissimum spectant,

qui animi morbis detinentur, v. c. fatuitate, melancholia etc. Nullam recipit dubitationem, quin affectiones modo dictae persaepe a corporis vitiis pendeant, quae, si submoveantur, mentis quoque integritatem, reparari patiantur. Quo autem modo ad diagnosin morbi materialis perveniri potest, si, deficientibus notis externis, aegrotus obmutescit, si dolores aliasque difficultates tacito ore sustinet, medicique conatibus summa cum obstinacia reluctatur? Accidit etiam, ut aphonia, surditas aliaque vitia subsint, quae, si aegrotus medici contentionibus succurrere velit, omnem ejus operam eludunt. Similis est ratio, si morbi acuti tanta cum atrocitate incursant, ut jam inter initia mentem aegroti turbent, ac diagnosis explorationem in solo curantis arbitrio collocent.

§. 20.

Est quoque in aegris quaedam sensationum fallacia, qua fit, ut symptomata imaginaria non distincte a veris possint discerni. Quis est, quem affectiones illae hypochondriacae et hystericae fugiant, in quibus mirifica symptomatum caterva et varietas animadvertitur, quorum nonnulla quidem tam controversa sunt, ut simul existere nequeant; nihilo secius aegroti talia conqueruntur. Vix ullus cogitari potest morbus, quem sibi inesse non putant, vix dolor vel molestia,

quam non sentiant; tanta nempe systematis nervorum alienatio est, ut sola imaginatione quodlibet symptoma proferant, aut potius proferre sibi videantur. Quid mirum, si medici minus exercitati perpetuis quaerelis decipiuntur, erroribusque implicantur, qui in dignoscendo plurimum obsunt!

§. 21.

Hic etiam simulationi locus debetur. Dantur nimirum homines, qui ut aliorum misericordiam moveant, vel officia graviora, uti militiam detrectent, variorum morborum speciem imitentur. Noli objicere, medicum peritiorem facile intellecturum, an morbus verus sit, an simulatus. Impostoribus illis tanta saepe habilitas est, ut sincerissimam morbi imaginem aemulentur, neque artis salutaris tirones tantummodo, sed magistros etiam eludant. Plerumque morbi fictitii ita constituti sunt, ut eos nonnisi symptomatibus dignoscere queas, quae ob oculos cadunt. Testimonio sit morbus caducus, qui, ut evidentissimus, ita fallacissimus est, dum homo satis callidus propositique tenax sit. Varia quidem commendantur adminicula ad detegendam simulationem idonea, sed haec ipsa partim crudeliora sunt, partim incredibili cum patientia ab impostoribus sustententur. Saepissime contigit, ut, castigationibus

ac insidiis frustra tentatis, casu aliquo fraus detegeretur. Difficilior cognitu est paralysis, praesertim imperfecta, vel brachii, vel alius partis, quam quis fingit, in hoc enim casu omnibus praesidiis penitus destituimur, si homo verum profiteri recusat, et violentiarum curationum patientem sese praestat.

§. 22.

Quo laetiora medicinae augmenta affulgent, eo magis illud dolendum est, quod praejudicatae opiniones nonnunquam omnem curantis operam irritam reddunt. Maximam quidem partem homines sunt rusticani omnisque cultus expertes, qui sibi pereundum esse autument, simulatque medici auxilio utantur. Hinc, si inviti ejus curae submittuntur, omnibus viribus contendunt, ut vel per ambages ei elabantur, vel commentitiis ac dolosis narrationibus judicia ejus confundant. Qui si novissent, quantum sibi noceant mentiendo ac diagnosise veritatem evertendo, vix non alias partes amplecterentur. Alii invidiam propterea adversus medicos susceperunt, quod unum alterumve familiarium, artis praesidiis usum, pereuntem viderunt, etenim medicum esse negant, qui non omnibus morbis mederi possit. Deinde multi gentis plebejae mori damnifero, a majoribus tradito, addicti sunt, quoslibet morbos ma-

gicis carminibus, vel incantationibus, aut amuletis adgrediendi, eorumque curationem moliendi. Imo si medico uti cogantur, hisce tamen rebus non ex toto abstinent, et, tanta est mentis coecitas, ut, si quid laetius evenerit, non medici operae, sed magicis artibus, aut sympatheticis remediis adscribant. Quantum negotii curantes cum ejusmodi hominibus habeant, priusquam vera cognoscant sententiamque de morbo ferant, facile est intellectu, siquidem aut cum malignitate aut dolo aut superstitione conflictandum est.

§. 23.

Quum homines de infima plebe nati saepe numero praejudicatis opinionibus permoveantur, ut auxiliarem medici manum repudient, eique falsa pro veris nuntient, non est infitias eundem, quosdam nobiliorum ordinum, si aegrotant, intempestivo pudore ductos, medici explorationes pertimescere, multaue celare, quae scitu necessaria sunt. Ut taceam de sordido illo vitio, quod amplexibus venereis originem debet, non possum, quin exanthematum quorundam mentionem faciam, quae vel perversis remediis, vel incongruo corporis regimine repercussa, molestissimas et pertinacissimas affectiones moverunt. Multos confiteri pudet, se scabie quondam laborasse, tanquam haec confessio honestati obsit. Hinc

mendacia excogitant, ut aliquam morbi causam
inveniant, medicique scrutationibus satisfaciant.
Ex his eadem incommoda proficiscuntur, quae e
superioribus oriri diximus, etenim falsa causarum
suspicio obliquam diagnosin, obliqua diagnosin
perversam morbi medelam efficere solet.

E p i l o g u s .

Haec, licet pauca sint, sufficere arbitror, ad evincendas difficultates, quibus morborum diagnosis premitur, causasque dilucidandas e quibus difficultates illae maxime scaturiunt. Me longe plura ac potiora scribere potuisse atque debuisse non dubito, quis vero est, qui angustias ignoret, in quibus juvenes, specimen publicum edituri, versantur? Fore igitur spero, ut aetas juvenilis et virium imbecillitas, tenuitatem hujus opusculi excusent, lectorumque animos ab acerbiori judicio vel abstineant vel revocent. Ceteroquin in posterum omni virium contentione enitar, ut sanctissimo medici officio satisfaciam, probe memor illius Ciceroniani: Nihil habere potest, nec fortuna nostra majus, quam ut possimus, nec natura melius, quam ut velimus conservare quam plurimos.

VITAE CURICULUM
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Joannes Franciscus Carolus Reim natus sum
subenae die XI. M. Septembris A. MDCCXCVI.
patre Joanne Francisco, matre Christiana Friderica,
gentis Hefteriana; optimi parentes praematura morte
mihi erepti sunt. Literarum rudimentis in scholis
superioribus imbutus, per quatuor annos Gymnasium,
quod Neozellae florebat, frequentavi, ibidemque con-
victionis actu religioni catholicae addictus sum.
Cursu scholastico absoluto, cum animum ad Chirurgiae
studium appulsem, rei domesticae angustiis prae-
sistere, quominus literarum universitatem adirem, in-
ter me excolenda viris doctissimis Dr. Hefter et
Chirurg. Baumgarten ducibus usus sum. Quum A.
MDCCXV. tentamini chirurgico me subjecissem, chi-
rurgici militaris munus in me collatum suscepi, quo
per octavum annum fungor. Per hocce temporis

spatium occasio mihi oblata est peroptata, per biennium in Universitate literarum rhenana, quae Bonae floret, commorandi, atque collegia medico-chirurgica frequentandi. Omissis praelectionibus publicis, quas adire mihi licuit, privatas tantummodo recensebo. Logicen, Psychologiam et Aestheticen Cel. van Calker, Mathesin Cel. Diesterweeg, Botanicen et Pharmaciā Ill. Nees ab Esenbeck, Historiam naturalem et Zoologiam Cel. Goldfus, Chemiam Cel. Bischoff, Physicen Ill. a Münchov me docuerunt. In osteologicis exper. Weber, in Physiologia Cel. Nasse, in anatomicis et physiologicis nec non in arte cadavera dissecandi Cel. Mayer me instituerunt. Arte funera legitime incendi exper. Weber me imbuit. In Pathologia generali, Semiotice, Therapia generali, nec non Materia medica Ill. Harles praeceptore usus sum; Chirurgiae generalis et specialis nec non Ophthalmiatrices praecepta Ill. a Walther debeo, cujus auspiciis etiam aegros adire mihi licuit, idem circa fracturas et luxationes, operationesque chirurgicas me instituit; Artem obstetriciam Cel. Stein mihi tradidit.

Quibus praeceptoribus, quantum ob institutionis praestantissimae, benvolentiaeque insignis documenta plurima debeam, licet verbis exprimere nequeam, eorum tamen erga me merita gratissima piaque mente semper recolam, eorumque memoriam sanctam semper servabo.

excolendam, quam mihi studio et usu com-
muni cognitionem, novisque medicinae praeceptis
et benevolentia Archiatri chirurgorum milita-
rumque medicae exercitus Borussici Summi Prae-
sidentis Universitatis berolinensem A. MDCCCXXII.
mihi licuit, ubi civium academiae regiae
chirurgicae numero adscriptus, sequentibus in-
traelectionibus.

Therapia generali Cel. Fr. Hufeland, Therapia
morborum chronicorum Ill. Ch. W. Hufeland, The-
seos specialis et Pathologia specialis Ill. Horn me im-
pulerunt. Ill. Knappe de medicina forensi, nec non de
formulis medicis concinnandi, Cel. Kluge de arte
applicandi, de Chirurgia generali, de Akiurgia
Graefe audivi, hujusque exercitationibus clinicis
mei. In medicina clinica Ill. Berends duce usus sum.
Clinicam medicam Cel. Neumann, artem obstetri-
ciam Cel. Kluge, Chirurgiam specialem Ill. Graefe,
Chirurgiam Ill. Rust proximo semestri me docuerunt.
Omnibus his praeceptoribus, maxima pietate
meis, pro summis in me meritis gratias, quas animo
agere possum, maximas ago.

Tentamine et rigoroso examine peractis, disser-
tatione conscripta publiceque defensa, fore spero, ut
mihi in utraque medicina honores per Decanum
num Spectabilem in me conferantur.

Theses defendendae.

I.


Ne ullum quidem febris signum diagnosticum est.

II.

Pleuritis non est.

III.

Inflammatiō asthenica non est.



Theses defendendas

